



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Nucleus Practici Tractatus, De Legibus**

**Marchius, Ewald**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661**

Cap. II. Vtrum promulgatio sit de ratione Legis, & qualis sufficiat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42256**

dam præsint & regant, alij subsint, & regantur: ut facilius vitetur, in humano genere omnis confusio. Wiggers in I.2.q.90.articulo 3.

C A P U T II.

*Vtrum promulgatio sit de ratione LEGIS & qualis sufficiat?*

**D**E ratione LEGIS est Promulgatio. Ita S. Thomas I.2.q.90.art.4. & inde habet suam virtutem; quia Lex, est regula quædam, & mensura moraliter operandi: sed regula & mensura non possunt fungi officio suo, nisi applicentur: Ergo, ut Lex habeat virtutem suam, debet quoque applicari. Applicatione autem LEGIS, fit per promulgationem.

Quod vero attinet, ad qualitatem & modum Promulgationis, ea non omnino uniformiter se habent, quo ad omnes LEGES, nam Lex Æterna, & Lex naturalis, censentur promulgari, per lumen Rationis, quanto Deus indidit lumen naturæ & sic quasi in habitu, LEGES has, Homini promulgavit, ut docet D. Thomas I.2.q.90.art.4. nam sufficiens principium, eas cognoscendi, dedit.

Perficitur autem ista Promulgatio, per natu-

A 4

natu-

naturalem Synderesin, quæ Homini, quando ratione uti incipit, easdem **LEGES** inculcat.

**L**EX vero Divina Positiva, & **L**EX Hu-  
mana, debent exterius dictis, aut scriptis pu-  
blicis, promulgari, ut obligandi vim habeant  
idque, ut innotescere possint ijs, quibus im-  
ponuntur. Necessarium tamen non est, ut de  
facto omnibus innotescant, multo minus,  
quod singulis per speciale Mandatum, aut  
Litteras intimentur, ut constat ex capit. pri-  
mo de postulatione Prælatorum.

Ignorantia tamen invincibilis, semper ex-  
cusat in foro conscientiæ, in foro autem fori  
etiam excusare solet, quando potest probari,  
quæ probatio facile admittitur, usque ad bi-  
mestre, à promulgatione, non sic deinceps,  
quia tum censetur, omnibus potuisse innote-  
scere, nisi quis, voluntarie voluerit ignora-  
re.

Quando tamen, **L**ex est irritans **C**ontra-  
**E**tus, **D**onationes, **E**lectiones, aut similia, vel  
revocans Privilegia, mox plenam vim habet  
post sufficientem Promulgationem, eandem  
que de facto exercet (Quando tamen aliud  
determinatum tempus non exprimitur, quo  
vires exercere incipiet) etiam si invincibiliter  
ab aliquibus ignoretur.

Ea-

Eadem est ratio LEGUM, quæ constituunt  
precia rerum, vel quæ inducunt aliquas in-  
habilitates, in certas Personas, unde si quis-  
piam, post hujusmodi LEGEM sufficienter  
promulgatam, aliquid istorum, ex ignorantia  
invincibili tentaverit, actus ejus invalidus  
erit, & nullus. Wiggers in 1.2. q. 90.

An vero, ut LEX Pontificia obliget, de-  
beat esse promulgata, in ipsa Provincia,  
quemadmodum de Imperatoria LEGE, do-  
cent Jurisconsulti; An autem sufficiat, quod  
Romæ sit publicata, disputatur inter Theo-  
logos.

Certum autem est, Pontificem posse sic  
condere LEGES, quæ ubique obligent Fi-  
deles, post Promulgationem Romæ factam  
sic, ut peccent, qui eas non observant, nisi ig-  
norantia invincibilis excuset.

Verisimilis tamen est opinio Illorum, qui  
dicunt, Pontificem uti tali benignitate, in  
LEGIBUS inducendis, qua Imperator, &  
proinde, ejus quoque LEGES non obligare  
nisi in Provincia fuerint promulgatae, cum  
ditio Pontificis non minus, imo multo latius  
se extendat, quam Imperatoris, & habeat E-  
piscopos, per quos possit in singulis Provin-  
cijs publicare. Imo quia hi proximè Popu-  
lum regunt, æquum satis est, ut ab his quo-  
que

10 Nuclei Tractatus practici

que Populus LEGES accipiat. Ita docet Soto libro 1. de Justitia & Jure. q. 1. art. 4. Angelus verbo Lex q. 13. Cajetanus & Medina contra Sylvestrum & alios quosdam.

Hæc tamen intellige, nisi contrarium, in LEGE exprimatur, ut aliquando contingit, in LEGIBUS de male promoventibus & Promotis ad Ordines, quas Pontifex expresse vult obligare, in urbe quidem 15. die à Promulgatione, citra alpes post 4. menses, ultra autem post novem.

C A P U T III.

*Virum effectus Legis sint, Hominem facere bonum? & qui sunt actus Legi?*

**R**espondet S. Thomas 12. q. 92. affirmati-  
ve; quia omnis Lex est instituta, ut Ho-  
mines eam sequentes, efficiantur boni, vel  
simpliciter, vel secundum certum modum &  
finem.

Lex enim supernaturalis, eo tendit, ut Ho-  
mo fiat bonus, per virtutes divinas, atque  
adeo efficiatur per gratiam filius Dei adopti-  
vus.. Lex Naturalis, ut fiat bonus Virtutibus  
moralibus, commensuratis naturæ. Lex Ci-  
vilis, ut fiat bonus Civis. Ecclesiastica autem,  
ut quis sit bonus Christianus, saltem secun-  
dum exteriores actus.

Lo-